



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

Terrā Zuph, id est in patriam Samuelis. Zuph enim erat atauus Samuelis, significat ergo propè Ramatham uenisse Saulem.

Quia repperi. Non quia populus meruit &c. Clamor supra ca. 7. Et fleuit omnis domus Israël post dominum.

Minima tribu, scilicet iam penè extincta propter scelus in uxorem leuitæ perpetratum, ut uides in fine Iudicum.

Assumens &c.

Et loco & cibo honorat Saulem præ cæteris.

In hac historia uides, quod apud homines est casus, fortuna, prudentia, industria, studium, apud deum esse prouidentiam. Quid enim magis fortuitum potuit uideri quã q̄ Saul ungitur in regem dum asinas querit, dum uadit consulturus prophetam, cū tamen per hæc deus illum mittat ut ungetur? &c. Ita omnia ad quæ uel sponte agimur uel coacti propellimur, deo agente uel impellente fiunt, siue misericordia ipsius siue iudicio, imò deo sic disponente non ea fiunt quæ uolumus uel ad quæ cogimur, sed longe alia quæ ne cogitauimus quidem aut cogitare potuimus &c.

## CAPVT X.

**C**Apite superiori dicit dominus, Unges eū ducem super populum meū Israël, & hic, Vnxit, inquit, te dominus &c. Primus ergo rex qui iussu dei ungitur in Israël est

o

Saul, Antehac tantum sacerdotes Leuitici generis dei oleo ungebantur & quæ ad sacrificia pertinebant. Vtraque unctio à deo in populo Israël instituta respiciebat in Christum, id est unctum domini, qui dicit, Esa. 61. Spiritus domini super me eo quod dominus unxerit me &c. Et psal. 44. Dilexisti iustitiam &c. Sacerdos enim est & rex in quo cessat sacerdotium & regia dignitas in Israël, quia hic uera res est & aeterna, cum illic tantum fuerit figura transiens. Per istum & omnes Christiani sunt Christi, id est, sacerdotes & reges, quemadmodum & Abraham, Isaac & Iacob fuerunt, de quibus in psal. dicitur, Nolite tangere Christos meos &c. Externa tunc, institutione dei non inuentione humana, significabant spiritualia & interna, ideo his per Euangelium mundo propalatis non opus est illis, quæ pro tempore deus instituit & non permisit nobis ut similia fingamus & dicamus, Deus illa instituit & uoluit ita significare, ergo & quæ nos instituimus debent talia significare, quæ est nostrorum temporum impietas, quod humana signa diuinis cõparamus sine omni uerbo dei. De unctione Christiana scripsit Ioan. epistola. 1. ca. 2. quæ & habuerunt qui olim iustificati sunt, ut de Abraham, Isaac & Iacob ex psal. dictum est. Est enim oleum leticiæ, id est spiritus sanctus in corde &c. Nostrorum hodie hoc impium argumentum est, si remintuearis non uerba ipsorum. Quem deus iubebat un-

gi sacerdotem uel regem ille erat sacerdos uel rex à deo ordinatus & coram deo, ergo quem nos ungi-  
mus sacerdotem uel regem sine dei iussione is est sa-  
cerdos uel rex à deo ordinatus & coram deo. Quis ti-  
bi hoc dixit? quod ex corde tuo finxisti, deus scilicet  
acceptabit pro uerbo suo, mendaciū pro ueritate? &c.  
Hic dominus iubet ungere, & Samuel dicit, Dominus  
unxit te. Impie sentis si uis uideri opus dei facere qd'  
dominus non iussit.

### Et hoc tibi signum.

Res noua erat & uix Sauli credibilis, iccirco multis  
à deo prædictis signis confirmatur, ut credat uerbo  
dei, sicut nos sacramentis externis confirmamur. Di-  
sputant nostri hodie, an liceat signum petere, cū hoc  
uideatur esse tentare deum, quibus respondemus, que-  
dam uerba dei, ut sunt lex & Euangeliū, pertinere ad  
omnes, de quibus dubitare & nō uelle credere nisi si-  
gnum uideas est omnino impietatis, & hic qui de signa  
quandoq; dabantur sed illis quibus nondū erat præ-  
dicatum, Hoc est quod Paulus dicit, Incredulis signa  
data sunt. Impij sunt qui hodie Euangelio credere nō  
uolunt nisi signa edamus, & tamen gloriantur se esse  
Christianos & sacerdotes, claris uerbis confitentes se  
non habere Euangeliū, iccirco nō esse qd' dici uolūt,  
qui & hoc errant q' putāt se credere posse si signa uis-

An liceat  
signum petere

derent, quasi nostro arbitrio credamus &c. Alia uerba dei sunt quæ non ad omnes sed ad singulares personas & singulares effectus pertinent, ut q̄ Gedeon debet esse iudex & liberare populū. Saul rex, Achas esse securus ab hostibus &c. Hic nihil uetat signa postulare, imò gloria dei est, dum libenter amplectimur diuinam uoluntatem modo de ea certi simus. Impius est ergo Achas qui diuinum signum respuit. Et si quid hic peccamus libenter fert deus nostræ fragilitatis necessitatem, ut uides in exēplo Zachariæ, Luca. 1. imò & isto peccato uult glorificari.

Prophetantes. Psalmos & uerba dei canebant spiritu docti, quæadmodū legis Asaph, Idithun, Heman, prophetasse confessionem & laudem domino in cithara, qui erant cantores à Dauide iussu dei instituti. 1. Para. 25. & Dauid infra cithara psallit & fugat dæmoniū. & Helizeus ad psalterium prophetat, 4. Reg. 3. Quod uero Saul, non solum nunc, sed etiam infra ubi aperte malus legitur, cum seruis suis prophetat inter prophetantes miraculum dei est, sicut & miraculum asserit Ioannes cap. 11. de Caipha, quem dicit non prophetasse ex seipso. & ca. 7. serui qui missi fuerant ad comprehendendū Iesum, dicunt, Nunq̄ sic homo locutus est, id quod non multum absimile est à factis seruorum Saulis infra.

Hinc Adagium, Et Saul inter prophetas, quod multis potest accommodari quæadmodum et illud gentile, Nos poma natamus. Verum hæc est stulticia sapientiæ humanæ, contemnere dona dei propter hominis personam. Vnde et Christus dixit, Non est propheta acceptus in patria sua. Vnde hic quispiam castigat aliorum errorem, admirantium, quod etiam filio Cæsaris talia contigerint, dicens, Quis est pater eorum, id est, prophetantium? q. d. Non ex patre et carnis propagatione est propheta, sed ex dei dono, qui dat cui uoluerit non habito magni tituli, aut parui siue ullius respectu etc. Non hic carnis opus est, sed dei uoluntas.

**Mutaberis in uirum alium.**

Dum carnales sumus differentiam facimus in operibus coram deo, et alia alijs indicamus acceptiora per errorem. Vbi uero spiritu dei siue spiritu fidei mutati fuerimus in uirum alium, siue in cor aliud, hanc differentiam amplius non nouimus, sed facimus quæcumque in manus uenerint, scientes per fidem omnia opera nostra esse equalia, et deo placere ut magna ita et parua siue modica, ut gloriosa ita et despecta, fides nullis se sinit alligari operibus, locis, temporibus, personis, obseruationibus, et omnino libera est, et nullis bonis operibus uacat, dans fructum suum in tempore suo, quæadmodum et supra de Hanna legis, quod eius uultus amplius non sunt in diuersa mutati ubi ipsa mutata

erat per deum intus &c. Hic non est opus doctore bonorum operum, licet admonitio sit utilis. Nam ut ait Paulus, Vbi spiritus domini ibi libertas, & i psal. 109. Christiani dicuntur, Populus spontaneus.

Et conuocauit.

Vides in hac historia quā sepe agat bonus pastor, ut populus suum tam grande peccatum agnoscat, & peccauerint regem hominem protectorem, qui hactenus habuerant deum regem, ut supra dictum, & infra dicitur ca. 12. sed hæc omnia frustra, dum cæcum potius sequuntur rationis iudicium quā dei uerbum ex Samuele auditum. Caro ut nō credit dei promissionibus, ita etiam contemnit dei comminationes, nulli dei uerbo credit per naturam &c.

Et applicuit &c.

Prouerbiōrū. 16. dicitur, Sortes mittuntur in sinum sed à domino tēperantur. Non opus est querere, utrū sorte uti liceat, si fide cognoris sortes à domino temperari, & commendaueris oratione domino rem omnē, ut isto signo ostendat tibi in re necessaria quid ipse uelit, quemadmodū Apostolos legis fecisse, Act. 1. Hoc non est tentare deum, sed in re quā omnino non intelligis quid fieri debeat & tamen oportet ad dei gloriā & proximi salutem fieri, dei ipsius querere uoluntatem. Timor dei ista facit qui nihil audet cōsilijs humanis committere. Verum quod de sorte translatum est

apud latinos, in Hebræo significat signo externo deū indicasse quem elegerit. Sed cur ista facit Samuel? Respondeo, non sibi facit, sed populo, ut populus sciat hunc à deo in regem electum, ne hic fieret quod olim de sacerdotio Aaron &c. Nu. 16. Sic & in ministerio uerbi necesse est primū scire, & qui docere uult apostolus sit dei, alioqui quomodo ei credes? &c.

**Abconditus.** Nemo recte honorem possidet nisi qui coactus dei timore assumit. Exemplum huius edidit Christus dum fugit quando uolebant eum facere regem. & docuit in parabola, Cum inuitatus fueris &c.

### Locutus.

Fortè repetijt ex Deutero. de rege, & deinde ut obediendum regi. Posuit autē in librum coram domino in testimonium contra illos, sicut Moyses legē. Deut. 31.

In Gabaa.] Hinc Gabaa Saulis dicitur, Esa. 10.

### Quorum deus.

Ista est uerbi & operis dei natura, non suscipitur, non placet, nisi deus suo spiritu tangat corda, quemadmodum & de reuertentibus ex Babylonica captiuitate dicitur. 1. Esdr. e. 1. ut uideas uires & arbitrium humanum esse nihil, & non posse nisi blasphemare quæ dei sunt. Qui antea peccauerant petendo regem, grauius iam peccant despicientes quæ deus manifesto signo elegerat, non in uoluntatē dei sed in hominis personam respiciunt, quemadmodū semper caro solet, cui nihil



cū spiritu fidei cōmercij est, ut maxime omnia optimā  
foris uel sapientiæ uel iustitiæ speciem habeant &c.

## CAPVT XI.

**H**oc caput confirmationē regni Saulis, ubi  
fortiter per deum fecerat, habet.

**H** Quasi post mensem, non est in  
Heb. & corrumpit historiæ ueritatē. Nam  
sequenti ca. dicit Samuel, q̄ Israëlitis cœpit imminere  
Naas primū, quando petebant regem. In quo uidetur  
carnis natura. Deum fateri uidetur protectorem, sed  
in tentatione & angustia ad sua fugit consilia, nō agni-  
to deo. Sic & Ahas non potuit persuaderi ab Esaia,  
q̄ tuus per dominū foret à duobus regibus, sed dixit,  
Non tentabo dominum &c. q. d. Non committam me  
uanis promissis, præsens uideo periculum, uiribus hic  
consilio & armis opus est, milites non propheta hic  
ualebunt, ubi uacauerit prophetias audiā, nescio quid  
sit quod dicitur de rege cœlorum, à rege potius Assy-  
riorū suppetias quæram. 4. Reg 16. Itaq; tentatio pro-  
dit quæ sit hypocritarum de deo fiducia.

Ammonitiæ sub Iepthe duce Israel repetierunt ter-  
ram Canaan quasi iniuste occupatam à filijs Israel &  
quasi ipsorum fuisset, & omnium uicinarum gentium  
odia erant in Israelem, q̄ illic habitaret & alijs uiue-  
ret legibus seq; gloriaretur esse dei populum & deos